

05

A

2435



Q. D. B. V.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

GLADIO
MYSTICO

Ex Ep. Heb. IV. v. 12.

QUAM

PRÆSIDE

VIRO

SUMME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO

atq; EXCELLENTISSIMO

DN. D. ABRAHAMO CALOVIO,

Theologo de Ecclesiâ Univerſa Orthodoxa infinitis
meritis Clariss. Prof. Publ. Prim. Famigeratissimo, Ecclesiæ Witteb.

Past. Vigilantissimo Circuli Elect. Saxon. Superint. Gen.

Eminentissimo Synedrii Ecclesiæ.

Affess. gravissimo.

Dno. Patrono, Præceptore ac Hospite suo omni

pietatis atq; obsequii cultu submisſe

devenerando.

Publicæ ουσΙτησεί listit

JOHANNES GEORGIUS Gottschalck /

Vratislav. Siles.

A. & R.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins. Ca 1680



Q. D. R. N.
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
G. L. A. D. I. O.
M. Y. S. T. I. C. O.

Ex Ep. Hebl. v. r.

PRÆSIDE

V. I. R. O.

ZUMME RENTREDO M. A. P. T. I. C. O. M. P. L. I. S. S. I. M. O.
M. P. E. X. C. E. L. L. E. N. T. I. S. S. I. M. O.

D. N. D. A. B. R. A. H. A. M. O. C. A. L. O. V. I. O.

Theologo de Facult. à l'Université Orthodoxe inférieure
messin Christ. Prof. Publ. R. M. L. a. n. g. e. r. e. s. p. a. n. o. Facult. W. i. r. c. h.
Prof. Vigilantissimus, v. r. o. l. l. e. b. 8. r. o. n. s. u. p. e. r. i. o. r. G. e. n.
P. m. i. n. i. s. t. e. r. c. o. l. l. e. g. i. a. l.



JOHANNES 05 A 2435

WITTEBERG
JOHANNES STUMMUNDI





C. B. D.



Vicunq; Christo nomen dedit, ille militiæ
sacræ se adscriptum esse credat, cui semper
bona militanda militia, juxta exemplum
Apostoli *2. Tim. 4, 7.* Quemadmodum hic
bonus miles Jesu Christi *2. Tim. 2, 3* utut
vero hostes ita etiam arma describit com-
mendatq; *in Ep. ad Eph. 6, 10. seqq.* qvi textus qvalli instru-
ctissimum est armamentariū, unde arma nobis suppeditantur,
qvibus insultus hostium reprimere, omnemq; impetum rerundere
valemus: inprimis autem nobis gladius porrigitur summi roboris,
infinitaq; virtutis Verbum nempe DEI. Hic gladius est Ehudis,
infernalem Eglonem conficiens *Jud. 3, 21.* Hoc gladio instructi
omnibus aliis deficientibus armis ad Jonathanis exemplum
maximam Philistæorum stragem edere valemus *1 Sam 3, 19.*
Hic gladius est Alexandri M. omnem nodum Gordium inexplicabileq;
vinculum ab Hæreticis adstrictum solvens rumpensq; *Curt. 1, 3, c. 1.*
Celebrant historiæ Silesiæ Bulconis Ducis Svidnicensis gladium à
robore suo, & sollicitè custodiunt (*vid. Schigfusius in Silesiæ
Histor.* Nos majori cura atq; studio divinum ensen,
omne robur infinitis modis superantem non modo ob
insignem, qva pollet virtutem, commendatum servamus:
verum etiam admovemus adhibemusq; ubi in prælium
eundum atq; decernendum est. Hoc de gladio, qvem
Apostolus *Heb. IV, 12.* conspiciendum nobis tradit, ejusq;
encomium proponit, brevem dissertationem institu-
emus, qvæ ut succedat prosperè, divinum imploramus
Numen.

Textus Originalis.

Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τῷ θεῷ, καὶ ἐνεργῆς, καὶ τομώτερος ὑπὲρ
σῆσσαν μάχαιραν δίσομον, καὶ διικνούμενος ἄρχι μερισμῶ ψυ-
χῆς τε καὶ πνεύματος, ἀρμῶν τε καὶ μυλῶν καὶ κριτητικὸς
ἐν θυμῶσιν καὶ ἐννοιῶν καρδίας.

Versio Vulgata.

Vivus est enim fermo DEI & efficax & penetrabilior omni gladio
ancipiti (Arias Montanus super gladium ancipitem) & pertin-
gens usq; ad divisionem animæ ac spiritus compagum quoq; ac
medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.

Versio Lutheri.

Denn das Wort Gottes ist lebendig und kräftig und scherffer
denn kein zweyschneidig Schwerdt/ und durchdringet bis das
scheidet Seel und Geist / auch Marek und Bein/ und ist ein
Richter der Gedancken und Sinnen des Herzens.

CAPIT I.

Analysin Grammaticam exhibens.

§. I.

UT sensum Spiritus S. quem intendit eo rectius & accuratius
expendere queamus, & vim verborum quibus virtutem atq;
efficaciam gladii mystici nobis ob oculos ponit, intelligamus,
Grammatica consideratione opus utiq; est, ut intellecta verborum
emphasis ad sensum atq; mentem DEI loquentis eo rectius de-
ducamur.

§. II.

Ζῶν Part. Præs. contractum à verbo ζάω vivo. Epithe-
ton verbo DEI ob efficaciam suam attributum quod ejus origo sit
vita,

vita, ejus efficacia sit vitam largiens Spiritualem pariter ac æternam, hinc Christus ipse *Joh. VI, v. 63.* πνεῦμα καὶ ζωὴν appellat. Et *Petrus v. 68.* ῥήματα ζωῆς Christum habere dicit. Apostolus etiam Christianis ut habeant λόγον ζωῆς inculcat. *Conf. Georg. Craus. in phosph. v. 357.*

§. III.

Nec negligenda hic particula γὰρ, quæ etiam si alias admittat significationes quas *Pasor in Lexico recenset*, hoc tamen loco Conjunctionem causalem esse circumstantiæ textus evincunt, cum in antecedentibus verbum DEI ejusque audientiam nobis commendasset, hac particula connectit rationes propter quas verbum DEI sit audiendum, nempe ob virtutem & potentiam quam habet, quod vivum sit, quod efficax sit, &c.

§. IV.

Quid per λόγον τοῦ θεοῦ denotetur his nobis est, cum multis extra castra Ecclesiæ Orthodoxæ degentibus. De voce λόγος quid significet aliàs non operose differimus; nobis hic idem est ac verbum. Notum autem est quod verbum detur in Scriptura Sacra vel προφορικόν vel ὑποστατικόν. Sunt qui de Verbo Personali Apostolum loqui contendunt. Ex patribus *Ambrosius, Hieronymus, Crellius* ut & multi ex Pontificiis *Ribera-Cajetanus* & alii. Ita *Stephanus Monochius Jesuita* Comment. in h. l. hanc quoque fovet sententiam. *Crellius* & *Schlichtingius* λόγον τοῦ θεοῦ de DEI decretis explicant, quos refutatos vide apud *Magnif. Dn. D. Præsidentem Præceptorem atque Hospitem omni observantia atque obsequio ætatem devenerandum in Bibliis illustratis ad hunc locum.* Enim vero quominus eorum subscribamus sententiæ, & à nostra recedamus, quã defendimus, per λόγον τοῦ θεοῦ denotari λόγον προφορικόν seu sermonem à Deo enunciatum, urgemur à circumstantiis textus, quæ accurate unicuique, qui feliciter in scriptura interpretanda vult progredi expendendæ sunt. *vers. 2.* vocaverat λόγον τῆς ἀκοῆς, egerat etiam de verbo promissionis, quæ satis superq; demonstrant cum in nostro dicto efficaciam illius verbi quod vocaverat sermonem.

audientiæ describat, non posse sermonem Apostolo fuisse de verbo ἑωσάτω. Vide & B. Gerb. Com. in h. l. pag. 143. Obiter hic attingendi sunt Sociniani, qui per ἑωσάτω nomen, solam potestatem aut officium non essentiam divinam intelligunt, uti depravat sensum Spiritus S. Enjedinus in Explicatione Locorum Vet. & Nov. Testam. & Socinus passim. Id quod eum in finem faciunt, ut Christum non essentia Deum & natura, sed potestate talem adstruant, quæ hæresis pestilentissima ac indigna iis, qui Christianorum tamen nomen ambiunt, refellitur à Magnif. D. Preside in System. Theol. Tom. 2. pag. 159. 247. Hic quoque eorum rejicimus sententiam, qui cum absque articulo legatur aliis præter verum Deum tribui; enimvero ultra ducenta contraria loca allegavit Fabricius ἰαυαουεψ: de Incarn. fol. 18.

§. V.

Ἐργυῆς efficax à nomine ἔργον dicitur, quo ipso vocabulo virtus ipsius verbi divini indigitatur. Ubi quidem Grotius in annot. ad h. l. putat respici hic ad ignem qui in victimarum altari habebatur, quæ explicatio tamen Magnif. Dn D. Presidi in Bib. Illust. non placet. Ubi nil ad rem facere h. l. existimat, etiamsi vel maxime Jerem. XXIII, 19. Verbum DEI cum igne comparetur.

§. VI.

Pari ratione ad efficaciam verbi divini demonstrandam Apostolus epitheton aliud addit, quando de eo dicit, quod sit τομώτερος penetrabilior, qui comparativus Positivi τομός acutus, cujus origo est verbum τέμνω seco. Steph. Monobius supra cit. insistens hypothese suæ, Christum sc. per verbum DEI hoc in Apostolico dicto intelligi persuasus penetrare, dicit, quod ingrediatur profunda rei, nihilque esse tam profundum, quod Christum lateat & quo oculi ejus non perveniant. Conf. B. Glasium in Rhet. S. pag. 397.

§. VII.

ὑπὲρ πάντων μάχαιρα super omnem gladium. Constructio

Instructio Græcis admodum familiaris, atque consueta in Compara-
 rativo sermone exprimendo. μάχαιραν autem Accus. à nomi-
 ne μάχαιρα, quod nomen provenit à verbo μάχομαι pugno.
 Non autem μάχαιρα denotat gladium, quo in pugnis utimur
 quanquam & hic significatus maxime hic attendendus nec re-
 movendus. siquidem ut in Proœmio disseruimus gladium hunc
 divinitus nobis concessum esse in lucta adversus hostes spiritua-
 les, quemadmodum etiam ῥῆμα τῆς θεῆς τὴν μάχαιραν τῆς πνεύ-
 ματος. Apostolus vocat, verum etiam non infreqvens hujus vo-
 cabuli usus est, ut adhibeatur pro cultro. id quod constat ex LXX.
 virali translatione. quæ Hebraicum nomen חלחלון gladius,
 quod descendit à rad. חלחל comedit, sæpe numero per hoc vo-
 cabulum μάχαιραν reddiderunt. Ubi & notanda distinctio
 quam adhibent, quando gladium notare volunt, tunc quo à cul-
 tro distinguatur μεγάλην addunt epitheton, id quod notamus
 observatum Apoc. VI, 4. ubi Spiritus S. verba sunt καὶ ἐδόθη
 αὐτῷ μάχαιρα μεγάλη & datus est ei gladius magnus. Ta-
 lem cultrum habuisse Abrahamus legitur cum mactaret filium
 in monte Moria, & usus eorum freqvens fuit in sacrificiis Leviti-
 cis, quod abunde ex Vet. Testam. codice constat vid. Erasmus
 Schmidius in annot. ad Nov. Test. ad L. Matth. 26, 51. Ubi de Petro
 dicitur ἐκ τείνας τὴν χεῖρα ἀπέσπασε τὴν μάχαιραν αὐτῷ ex-
 tendens manum exemit gladium suum. Conf. plurima huc fac-
 ientia in Harm. Evang. Gerh. Cap. 185. p. 1782.

§. VIII.

Μάχαιραν Apostolus notabili epitheto δίσομον anci-
 pitem vocat à δις στόμα quasi duo ora seu duas acies habeat. Con-
 sultantur Lexicographi. Ideo autem Verbum DEI quasi biceps
 vocatur quod nempe utrumque Testamentum Lex & Evange-
 lium in conversione vim atque efficaciam suam exerat, qua pii
 convertuntur per Evangelium, per Legem autem impii occidun-
 tur. Quemadmodum etiam idem epitheton adhibetur Apoc I, 16.
 quando de Filio hominis apparente Johanni dicitur καὶ ἐκ τῆς στό-
 ματος αὐτῆς ῥομφαία δίσομος ὅξεια ἐκ πορομομένη & de ore
 ejus gladius anceps acutus exiens. Notatur ergo vis cædendi
 & pe-

& penetrandi corda hominum, quia verbum Dei pollet. *Hugo Grotius* formulam hanc loquendi desumptam esse dicit à cultris Leviticis quibus in mactandis aut dissecandis sacrificiis fuerunt usi. *Estius Pontif. interpret* prædicatum dicit hoc idem verbo DEI convenire ob notitiam, uti DEUS oculis cognitionis suæ omnia penetrat. Verum enim vero eò non facit vis penetrandi gladii ancipitis, sed quod incidendo penetret, corda hominum afficiat, percutiat, vulneret & quovis penetrantissimo gladio penetrare valeat acrius, ut addita ἐπεξήχησης notat pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus.

§. IX.

Pergit Apostolus describere hunc gladium mysticum ejusque virtutem sequentibus verbis: δικνέμεν ἄρχιμερισμῶν ψυχῆς τε καὶ πνεύματων. δικνέμεν pertingens Partic. à verbo ἵκνεμαι venio. ἄρχιμερισμῶν usque ad divisionem à verbo μερίζειν dividere. ψυχῆς τε καὶ πνεύματων animæ & spiritus. per ψυχὴν quæ vox à verbo ψυχῶ refrigero, Grotius appetitum rerum terrestrium, per πνεῦμα quod vento, Angelis & animæ sæpius in scripturâ tributum legitur, appetitum rerum cœlestium intelligit. *Thomas & Estius* per animam intelligunt partem animæ sensitivam, per Spiritum autem partem intellectualem. Enim vero nos potius per πνεῦμα non rerum cœlestium appetitum sed id quod in homine ex renovatione ejus per Spiritum S. est. Per animam autem non appetitum ipsum rerum terrestrium, sed sensu recepto animam intellectualem & facultatem ejus quales natura sciunt denotari Apostolum statuimus.

§. X.

ἄρμων τε καὶ μυλῶν compagum & medullarum. ἄρμῶς à verbo ἄρω apto, conjungo notat aptam commissuram aut concinnam compagem & sunt compages illa ligamenta quibus ossa ita fortiter ac validissime colligantur constringunturque, ut dirimi ac dividi amplius nequeant, nisi accedente pertinaci labore & summa adhibita vi. μύηλον (alii legunt μύλον) est autem nomen ὀμυελός & notat substantiam in intimis ossibus latentem.

latentem. *Menoehius* hac verborum congerie res abditissimas significantium doceri statuit nil esse in corpore aut anima tam abstrusum quo non perveniat DEI cognitio & ubi non possit per supplicia atque poenas suam declarare potentiam. Enim vero nos de Verbo DEI id asserimus quod sua vi atque virtute quaecunq; in homine sunt penetret.

§. XI.

Porro autem virtutem verbi divini quam habet vere divinam delineaturus pergit de eo prædicare quod sit λόγος κριτικός ἐν συμῆσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας discretor cognitionum & intentionum cordis, ubi notamus (α) vocabulum κριτικός quod originem habet à verbo κρίνω judico, quod notat accurate & ad unguem omnia examinare, dijudicareque unde Critici suam denominationem habent, qui summo judicio accuratissimoque pollent, qui severe atque ad amissim omnia expendunt & vel minima virgula censoria notant. (β) ἐν συμῆσεων cogitationum denotat ab ἐνθυμέομαι verbo, cujus radix θυμός animus notaturque id quod in animo est, nec extra animum alii communicatur & quo magis emphasis exprimatur addit ævipollentem vocem (γ) ἐννοιῶν καρδίας intentionem cogitationum conceptionem cordis à verbo νοέω cogito, ita ut hic significetur id, quod quisque intra se cogitet, quod animo perpendat, quo cogitatione atque voluntate mentis tendat. Quanquam etiam καρδιά cor per synechdochen totum significet hominem, quo de vid. *Craus. Phosph. pag 145. Schmid. in annot. ad Nov. Testam. p. 200. B. Glassius Rhet. S. p. 461.* Nihil tamen prohibet quo minus in significato proprio accipiamus.

§. XII.

Sunt quidam qui sequentem versum 13. huc pertinere & cum priori conjungi debere statuunt quasi & agatur in hisce verbis de λόγῳ προφορικῷ & Magni Theologi huic patrocinantur sententiae quos ut *Præceptores, & de universa Ecclesia Orthodoxa Doctores*

B

res

res Christi quam optime meritos omni obsequio etiam de veneramus. Attamen pace summorum istorum Theologorum eorum magis accedimus sententiæ, qui de λόγῳ ὑποστατικῷ verba Apostoli subsequentiâ intelligunt, eas imprimis ob rationes quas ponderosissimas sanè iudicamus.

CAPUT. II.

Connexionem ostendens textus, simulque analysin Logicam proponens.

§. I.

Qui leges interpretandi scripturas præscribunt id monent, ut accurate circumstantiæ textus perpendant, antecedentiæque cum consequentibus connectant. *Danh. in Id. Boni Interp. Diete. in Inst. Catech. S.* Id etiam nobis dictum esto in præsentibus textus evolutione ut scopo Apostoli intenti simus quo eò melius quod Spiritus S. intenderit cognoscamus.

§. II.

Si totum caput quartum inspiciamus proponit ibi Apostolus admonitiones ingrediendi in requiem adeoque commode in tres partes dividi potest. In quarum prima habetur illa admonitio, ne Flocci habeamus promissiones ad requiem illam perveniendi, addita ratione quod æque nobis ac illis annunciatum sit vers. 2. qui propter incredulitatem requie illa excidissent: subjungit huic admonitioni deinceps in altera parte explicationem istius requiei & exponit qualem hic intelligat requiem atque Sabbathum ostenditque non sibi sermonem esse de creationis Sabbatho nec de requie ad quam Duce Josua populus Israeliticus pervenit, sed illam respici de qua David locutus fuerat *in Ps. 59, 11.*
Cum

Cum igitur haecenus egisset de verbo promissionis, nunc tractare instituit in tertia parte de efficacia istius verbi.

§. III.

Et hanc partitionem *M. noster Gerhardus in comm.* proponit, nec multum abludivit allegabo verba: partes capituli tres sunt I. Exhortatio ad piam sollicitudinem, ne quis gratia excidat à v. 1. ad 4. II. Collatio requiei sive Sabbathi V. T. cum requie in Evangelio nobis proposita N. T. a v. 4. ad 12. III. commonefactio de requie illa Evangelica quaerenda per fidem verbo Evangelii enixam à v. 12. usque ad finem. *Conf. & expositio Magnif. Dn. Doct. Praesid. in Bibl. Illustr. ad h. l.*

§. IX.

Varia autem textus hujus analysis institui posset, imprimis si in rostris sacris homilia instituenda esset. Posset enim ex hoc dicto nostro proponi Gladius mysticus, quemadmodum & nos Dissertationem inscribimus: ubi notanda venirent 1. *descriptio* hujus gladii quoniam sit nempe verbum Dei. 2. *forma*, quod sit gladius anceps. 3. *virtus* quod sit efficax, penetrans, secernens. Vel quia verbum Dei comparatur cum gladio ita tractatio adornari posset, ut considerentur. 1. *Extrema comparationis* inter quæ comparatio instituitur, nempe inter verbum DEI & gladium. 2. *Tertia comparationis* in quibus nempe conveniant, & ob quæ verbum Dei comparetur cum gladio. Hic nos simplici via procedimus, & textum hunc Apostolicum haud secus ac propositionem Logicam accipimus, quæ uno constat subjecto, de quo multa enunciantur praedicata.

§. V.

Subjectum de quo h. l. Apostolo sit sermo est Verbum DEI quam in capite primo indigitavimus Controversiam inter Doctores interpretes qui contentionis ferram reciprocant. Aki enim

per Verbum Dei λόγον ὑποστατικόν nempe Filium DEI intelli-
gunt, qui in multis Scripturæ S. locis hoc nomine insignitur ut
Joh. 1, 1. 1. Joh 1, 1, 5, 7. Apoc. 19, 13. Huic interpretationi pa-
trocinantur *Ambrosius lib 1. de Cain & Abel. c. 8. Lib. IV. de fide
c. 3. Lib. II. in Lucam Hieron. in Es. LXVI, Gyril. L. 11. in Job.
XXXVII. cap. Theodoretus item Oecumen. Thomas utraq; Glossa.
Lyranus. Cajetanus. Stapletonus. Riebera Quibus accedit Rath-
manus inscripto quod vocat: Beständige Lehre der Väter p. 106.
ubi detonat in nostros, & collusionis cum Arrianis insimulat, qui ta-
men ipse in prefatione des Zugend-Spiegels puncto 3. de verbo ex-
terno accipiat. Argum: eorum videri possunt ap. Gerhard. in Commi.
ad h. l. Alii vero & longe rectius de λόγῳ προφορικῷ de verbo
Evangelii accipiunt h. l., nempe quod illam efficaciam etiam in-
creduli persentiscant, qui obicem quasi Spiritui S ponunt, dum
tales aculei in cordibus ipsorum excitantur. Et hanc optimam esse
interpretationem maximi ponderis argumentis adstruere poterim-
us quando ad præcedentia recurrimus capita ad cap I. v. I. II, 2.
& Cap. IV, 2 in quibus multa attulerat de verbo auditus Aposto-
lus, cum quibus optime cohærent verba nostra, & etiam si vel
maxime versiculo 14. cap. 4. subjungatur: habentes ergo Pontifi-
cem. Tantum tamen abest ut illa verba contineant collectio-
nem ex proxime præcedentibus deductam, ut potius regressio
fiat ad sermonem de summo Pontifice quem longa digressionem in-
terruperat. Cujus initium à vers. 3. 7 cap. III. deinde nunquam
apud Paulum reperitur vox usus vocabuli λόγῳ pro secundæ Dei-
tatis persona, verum acceptio ista singularis est, peculiaris soli
Johanni Apostolo & Evangelistæ; cum denique omnia in h. l.
τῷ λόγῳ tribuantur quæ alias Scripturæ S. dicta verbo DEI
προφορικῷ adscribant, id quod ostensu esset facillimum. vide in
hanc sententiam *Athan. Orat. 3. 9. contra Arri: Aug. Ep. 58. & L. 20.
de Civ. DEI. Theophyl. in h. l. Bellar. Lib. 4. de Eccl. c. 12. Estium
in h. l. Beza. Calvin. Piscat in h. l. Chamier in Panstr. T. I. lib. 6. c. 5.
pag. 77. Hanc ergo sententiam amplectimur inquit Joh. Gerh.
in h. l. eandemque vel priori præferendam, vel certe cum priori con-
jungendam esse dicimus. Cum enim Christus inter cæteras causas
vocetur λόγῳ ad prædicationem verbi, tum ad λόγον ὑποστατικόν**

21178

tum ad λόγον προφορικόν ab Apostolo respectum habere sine absurditate dicitur. Vid. Magnif. Dn. D. Calovius in h.l. qui hoc de λόγο προφορικό intelligit in Bibl. Illust. Prædicata autem quæ huic subiecto videlicet Apostolici conveniunt sunt 1) vivam esse. 2) efficacem quam efficaciam tum ponit, tum exponit similitudine desumpta à gladio cuius tertium est ancipitem esse, pertingere usque ad divisionem &c. Quo objectum est, in quod virtutem suam exercat, declarat.

CAP. III.

Problematicum.

Qv. I.

NUM verbum DEI προφορικόν realiter differat à verbo ενδιαθέτω, & an verbum ενδιάθετον, à verbo ύποστατικῶ distinctum sit?

§. I.

Ansam huic quæstioni suppeditat subiectum de quo Apostolus indicto nostro loquitur nempe λόγος τῷ θεῷ quem variis modis interpretatum supra vide.

§. II.

Osland. Schuvenkf. Anabaptista aliiq. Fanatici verbum internum dicunt ipsum Filium DEI vid. *Seb. Franck* in der guldernen Arche. p. 152. Externum autem verbum iidem ab interno maxime distinctum esse somniant *Andr. Osian.* im getreuen Murrenberg: Rathschlag. *Casp. Schuvenkf.* passim in scriptis. quem errorem quoque publicè *Lignicii Job. Sigis. Werner.* disseminavit. vid. *Schlusselfurg. Catal. Heret. lib. 10. p. 210. 255.* In eundem errorem lapsus est *Valent. Weigelius* qui verbum DEI in Exter-

num & internum dipefcens illud in Prophetarum & Apoftolorum fcriptis contineri & ceu rem mortuam vitam afferre nullo modo valere. vid. p. *Postil.* p. 420. P. 2. p. 225. Et in *Dialogo de vero Chriftianifmo* p. 29. 32. nec Reformatos ipfosque Pontificios quosdam im nunc esse ab hoc errore ostendit *Magnif. D. Præfes T. I. Syst. pag. 695.* Omitto nunc Sociianos, qui verbum aures tantum ferrire nec ultra extendi posse ftatuunt *Ostero-rod. in Inftit. Cap. 34. Catech. Racov. cap. 9. p. 267. Volkel. l. 5. cap. 18.* nec multum dicam de novis Euthasiastis de *Rathmann. Casp. Movio* & aliis in fcriptis passim editis.

§. III.

Hifce execrandis sanè erroribus orthodoxi Theologi strenue se opposuerunt vid. *Bedenck der Witteberg. Theologen in causa Rathman pag. 72. Magnif. Dn. D. Præf. in Syst. L. de fcrip. S. D. Cœlest. Myslent. Tract. von Gottes Wort contra Casp. Movium. c. 6. 7. Joh. Schelham. Pastor. Hemb. in der Wiederlegung der Postil Valent Weigel. Thum. de impietate Weigel. &c.*

§. IV.

Non autem realem intercedere differentiam inter Verbum Externum & internum gravissimis rationibus mox probaturi sumus. Id saltem notandum est, quod eatenus internum dicitur Verbum DEI, in quantum est à Deo ab æterno; Externum vero in quantum à Deo revelatum est, sive ut inspiratum mentibus sanctorum hominum qui in literas retulerunt, sive ut literis sacris expressum sive ut prædictum, adeoque saltem intercedit differentia modalis qui ut ex Philosophorum Scholis notum non multiplicat rem sed modificat.

§. V.

Pari ratione tenendum quando in Scriptura S. Filius DEI dicitur verbum longe aliam esse significatianem quam ubi de
verbo

verbo ἐνδιατέτω vel προφορικῶ sermo est. Filius DEI enim est verbum ὑποστατικόν ab æterno à Deo Patre genitum ac persona subsistens & à verbo DEI tum προφορικῶ tum ἐνδιατέτω maxime diversum, quippe cujus autor ipse filius DEI una cum Patre & Spiritu S.

§. VI.

Militat verò pro sententia nostra verbi divini unitas quod unum sit verbum DEI & æternum quod in DEO ab æterno fuit conceptus nempe ille DEI de divinis mysteriis, consiliis, decretis vel revelatis quibuscunque Scriptura S. comprehensis, & sensus ille DEI quem Prophetæ habuerunt & Apostoli. Siquidem Apostolus Paulus testatur de Apostolis 1. Cor. II, 16. ἡμεῖς δὲ ἴδοντες τὴν ἰδέαν τοῦ Χριστοῦ ἐκκαρτερῶμεν. Hunc Sensum utiq; Scriptura Sacra seu verbum προφορικόν exhibet & ex eo quilibet illum percipere potest.

§. VII.

Accedit quod in Scriptura Sacra nulla fiat mentio differentie realis inter verbum Externum & Internum, sed potius si eam evolvamus modalis saltem distinctio occurrit unum enim idemque verbum illud est & non nisi differt ratione effectus salutaris qui in homine producit. Externum autem auditur eatenus, quatenus vitam spectatur subscriptionis aut prædicationis externo modo. Illud autem externum verbum ordinatum est ad effectum illum producendum. Notum autem ex S. literis verbum prædicatum vel lectum conferri cum semine Luc. 8, 13. semen autem illud unum idemque nec realis est differentia, modo in agrum conjectum producat effectum & obtineat finem, ob quem disseminatum, modo impediatur quo minus fructu oblato & sperato beet agricolam. Hoc pacto verbum Externum seu prædicatum seu propositum cordibus hominum, prout aptata ea invenit ad recipiendum & tenendum illud vel exerit suam virtutem vel impeditum omni caret fructu. quis vero inde realem colligere velit differentiam.

§. VIII. Au-

§. VIII.

Audiamus Petrum Apostolum 1. Pet. 1, 25. ita celebantem
 verbum DEI. Verbum autem DEI manet in Æternum, hoc au-
 tem est verbum, quod evangelizatum est in vos. Tribuit verbo
 annuntiato æternitatem & v. 23. vocat semen incorruptibile.
 Quomodo ergo stare potest Adversariorum falsa hypothesis di-
 stinguentium inter verbum DEI quatenus formaliter accipiatur
 & notet sensum quem litera significet, & ens dependens & crea-
 tum sit. Sane Si hoc statuatur ipse sensus in Deo quem viris Θεο-
 πνεύσεως inspiravit talis quoque erit id est, dependens, creatus,
 caducus, temporalis quod sane impium & blasphemum. Nec
 Schvengfeldii & Rathmani explicationem admittimus quando
 per verbum intelligunt ὑποστατικόν. Refellitur enim à con-
 textu ipso si respiciatur, qui totus de verbo προφορικῶν agi de-
 prehendatur; ubi verbum ὑποστατικόν semini comparatur uspi-
 am? Quid quoque; & h. l. usurpatur vox ῥήματα & λογος quod
 sane nusquam Filio Dei tribuitur & explicat seipsum Apostolus
 cum dicit. Tale autem est verbum, quod inter vos annuntiatum
 est. Nec sibi ipsi constat Rathmannus qui in Gnadenreich p. 118.
 124. & in prefat. des Jugend-Spiegel de λόγῳ προφορικῶν
 explicavit. Ad etiam multo magis mirandum cur Movius au-
 dit verbum Dei hic à semine corruptibili distingvere, cum di-
 citur Apostolus ipsum Dei verbum appellet semen incorruptibile
 vid. B. Mentzer: in disp. n. Antip. 7. 77.

§. IX.

Nec recte dicunt, verbi operationem ipsum verbum divi-
 num internum; Quemadmodum medicinæ operationem non
 medicinam ipsam appellaveris, sed effectum medicinæ salutarem.
 Non autem illavis verbo à verbo externo discriminari debet, sed
 potius referenda ad scripturæ ἰσχυρήματα ut quando Apo-
 stolus de eo dicit Rom. 1, 16. quod sit δύναμις τοῦ θεοῦ εἰς σωτηρίαν
 παντὶ τῷ πισεύοντι.

§. X. Exino

§. X.

Ex inde etiam patet, cum operatio verbi nequeat dici verbum internū cur Filius Dei nequeat dici verbum internum Ne quicquam vero illud vulgatum hic objicitur: Nihil est in Deo, quod non sit ipse Deus. Cum inde non sequatur: Quicquid in Deo est, personam esse divinam nedummet ipsum Filium DEI. Decreta & consilia in Deo sunt, sed non sunt ipsa persona divina: Non ergo sensus divinus scripturæ verbo expressus, potest dici Filius DEI.

§. XI.

Objicit autem *Osiander* & urget, pro stabiliendâ sententiâ suâ, quod Joh. VI. v. 63. dicatur: Verba quæ ego loquor, spiritus sunt; Exinde evincere conatur suam quam habet falsam ὑπόθεσιν, sensum nimirum verbi in corde Fidelium manentem esse spiritum, adeoq; Deum ipsum, Enim vero nequicquam adducit oraculum hoc Christi, quod tantum abest ut patrocinetur ei, ut potius contradicat: proferant hujus sententiæ assertores ullum locum, ubi verbum, quod à Christo prolatum est, unquam dicatur Deus, vel Christus ipse. Cum autem in citato Joh. loco verbum dicitur spiritus & vita quis Metonymiam hic non animadvertit, & colligat idem verbum dici spiritum & vitam, quod spiritu & vita animatum sit. Et rectissime *Magus*. *Dn. D. Pres. T. I. System. p. 702.* animadvertit verbum spiritus S. aut Christi non est ipse spiritus S. aut Christus, cujus est verbum, nisi etiam dicas verbum Patris esse ipsum Partem.

Qv. II.

AN verbum DEI divina polleat virtute effectiva ad producendum effectus spirituales, & instructū sit lumine subjecti & principali ad efficiendum salutaria ἀποτελέσματα?

€

§. I. Affir

§. I.

Affirmativa hujus quaestionis Orthodoxorum est, quam contra *Schvungfeld. Calv: Ratiman. Mov. &c.* & omnes Haereticos virtutem & efficacia verbi DEI labefactantes strenue defendunt. *Magnif. Dn. D. Praeses T. I. Syst. p. 707. Dn. D. Quenstedt. in dissert. Theologica de Efficacia verbi.* Item *Im ausführlichem Berichte von der neuen Propheten Lehr und Glauben. Minist. Lubec Hamb. & Luneb. n. 165.* ubi in antecessum quoq; monendum, ut antea factum à nobis, scilicet sermonem esse de verbo DEI $\pi\rho\sigma\phi\epsilon\alpha\iota\omega$ non quidem materialiter, qua literas & apices, sed formaliter, prouti complectitur sensum divinum scriptis vocibus significatum atq; hoc pacto talem virtutem ipsi divinam tribuimus, ut statuamus instructum illud esse lumine subjecti & principali quod spiritu & vita animatum est, & divinitus ordinatum ad efficiendum salutaria $\alpha\pi\sigma\tau\epsilon\lambda\acute{\epsilon}\sigma\mu\alpha\tau\alpha$.

§. II.

Hanc nostram sententiam satis superque probat hoc dictum nostrum Apostolicum, ex quo ita argumentamur. Quod vivum est & efficax & penetrans usque ad divisionem compagis & medullarum, illud divina pollet virtute effectiva ad producendum effectus spirituales & instructum est lumine subjecti & principali. De verbo DEI verum Prius. E. & Posterius Magor. hujus argumenti propositio ex terminis constat, nec ulla indiget probatione. Min. est Apostoli. Cum quo conferri potest locus I. Pet. II, 23.

§. III.

Huic argumento Apostolico alia subnectimus ut Rom. I, 16. cum Evangelium dicatur potentia DEI ad salutem omni credenti, Huc etiam pertinent similia cum quibus verbum comparatur ob insitam vim, nempe semini Matth. 13, 8. Luc. 8, 11. incorruptibili I. Pet I, 20. cibo, Deut. 8, 3. Math. 4, 4. Medicina

na Psal. 119, 20. pluvia. Es. 55, 11. Margaritæ Math 13, 45. igni,
Deut. 23, 2. Jerm. 4, 14. Luc. 24, 34. tonitru Psal. 68, 34. Et
ipsi effectus verbi spirituales testantur de virtute illa intrin-
seca quâ ad producenda ejusmodi ἀποτελέσματα pollet, quia
semper juxta Methaphysicorum doctrinam: Actus secundus
primum præsupponat. Jam vero ex infinitis scripturæ S. locis
patet, quod verbo DEI ejusmodi effectus tribuantur, qualis il-
luminatio mentium Psal. 17, 11. regeneratio 1. Pet. 1, 23. Jac. 1,
18. fides Joh. 17, 2. Rom. 10, 17.

Qv. III.

AN verbum DEI virtute divina Polleat intrinsece ac
per se ex ordinatione & communicatione divina e-
tiam ante & extra omnem usum?

§. I.

Et hanc quæstionem de verbo DEI necessariam esse ut
probe evolvatur, quando de efficacia verbi divini quæritur, non
modo veteres exinde errores orti testantur, verum etiam quod
in vicina Academia nuper doctum est. Notum enim est *Rath-*
mannum, Movium, ejusq; assedat docuisse, verbum DEI, non
pollere divina virtute extra usum, sed in usu demum acceden-
te spiritus S. elevatione, virtutem accipere: Quæ tamen virtus
Rathmanni tantum est actus secundus, quare nullam aliam tri-
buit unionem verbo, quam quæ actu secundo sit in mente. vid.
Rathmann in der Erinnerung p. 13. 44. *Movius tractatu Theol.*
de verbo DEI c. 2. *Calixti* quoque hæc mens est *in Epitome Theol.*
p. 175. Strenue huic contagio medicatam manum afferre conati
sunt, & adhuc conantur orthodoxi Theologi *Mislenta contra*
Movium Tract. l. p. 51. Magnif. Dn. D. Praeses T. l.
Syst. p. 704.

§. 2.

§. Ut

§ II.

Ut autem hanc quæstionem eo rectius intelligamus, tenendum est, sermonem nobis esse de verbo DEI προφορικῶ ordinato ad id, ut in nobis operetur conversionem. adeoque hic verbum formaliter consideramus, in quantum nimirum notat sensum divinum & consilium DEI, quod in vocibus illis externis actu primo quasi latitat, & ex iisdem, quoad actum secundum est eruendum. *vid. Magnif. Dn. D. Qvenstedt. Dissert. de Efficacia Verbi observ. 1.*

§ III.

Virtus autem illa divina, quam verbo DEI, tribuimus, intelligimus nunc de actu primo, quem dicimus internum esse verbo, adeoque excludimus omnem elevationem verbi ad effectum sua virtute nobiliorem producendum, quam naturalem quoque vocant virtutem passim Theologi, non quidem ratione originis, sed ratione modi inessendi, quia illa virtus divina inest Verbo divino ut divino, quæ si abfuerit non verbum divinum est sed humanum,

§ IV.

Cæterum per usum hic intelligimus, auscultationem, lectionem meditationem verbi quæ illud in animum ordinarie primum admittitur, & in succum & sanguinem convertitur. Ubi tenendum, de eo nos non esse sollicitos, vel an verbum DEI nobis datum sit, ut eo nunquam utamur: vel an aliquando absque usu fuerit, vel etiam an extra usum legitimum actu secundo exerat virtutem suam, id enim utique negamus. Nec nobis sermo est de negatione usus legitimi, sed & de contrario abusu.

§ V.

In primis autem propter adversarios tenendum est, Scripturam

pturam S. vocari instrumentum etiam ab Orthodoxis Theolo-
gis, imò in ipsa *Aug. Conf. Art. 5.* instrumenti nomen scripturæ
tribuitur. *Conf. solida declaratio p. 621. Itemq; B. Gerh. T. 6. L.*
de Ministr. Eccles. §. 253. B. Mentzerus in Exegesi Aug. Conf.
art. 5. B. Hulfem. de auxiliis gratiæ pag. 168. B. D. König p. 3.
§. 490. Qui tamen indifferenter etiam mediæ appellatione usi
sunt. Scilicet longe alio sensu & significatione habent instru-
menti vocem quam quidem fieri solet ab Heterodoxis, qui cum
abuterentur notioni Instrumenti elevationem quandam ultra
virtutem propriam ipsi alias competentem affixerunt, cum ta-
men non possit dari virtus influendi ignobilior, quam quidem ad
effectum producendum requiritur. Theologi Saxonici studiose
instrumenti appellationem à mediæ notionem distinxerunt, ut &
Magnif. Dn. D. Præles qui in *Metaph- divina pag. 371.* dicit: affi-
ne quidem esse instrumento medium, non tamen idem simpliciter
quod instrumentum. Nam inquit, medium nonnunquam di-
gnius est instrumento, ut verbum Dei dicitur medium salutis po-
tius quam instrumentum: Natura in productione hominis est
causa mediæ respectu DEI instrumentalis dici non debet. Lar-
giuntur equidem Theologi, materiale verbi divini literas nem-
pe syllabas, voces per se quidem instrumenti nomine venire, si in-
strumentum laxè & in vulgari significatione accipiatur, utpote
cum ex peculiari institutione Dei ultra virtutem quam alias ha-
bent elevetur: Idem tamen verbum formaliter spectatum si ac-
curatius loqui velimus conversionis esse medium. Et distin-
guunt Theologi inter Instrumenta ἀεργα & συνεργητικά quo-
rum hoc ob vim agentis principalis arctissime ac inseparabiliter
sibi communicatam peculiari causæ principalis elevatione opus
non habet, & hoc pacto verbum DEI spectatum instrumentum
potest dici, cuius una numerice & indivisa est operatio una
cum Spiritu S. vid. *B. Hulfem. de auxiliis gratiæ pag. 194.*

§. VI.

His ita suppositis expositisque sententiæ nostræ veritatem
firmamus atque corroboramus ex textu nostro, atque ita colli-

gimus. Si verbum DEI quia Dei verbum, vivum est & efficax, penetrans usque ad divisionem compagis & medullarum, necessum est verbum DEI intrinsece, ante, & extra usum vita & efficacia divinitus animatum esse, nec demum vivum & efficax actu primo evadere per elevationem Spiritus Sancti necessum est, divina vivificandi virtute in se ac per se instructum sit, non vero aliunde eam consequatur demum in usu legitimo. Sed verum Pr. Ex textu nostro. Ergo & posterius.

Hisce ita breviter pro ingenii modulo pertractatis, nil amplius restat, quam ut DEO Ter optimo maximo pro Spiritus Sancti concessis viribus devotissimo animo persolvamus gratias.

PRÆEXIMIO, ATQUE ERUDITISSIMO,
DOMINO

JOH. GEORGIO GODESCHALCO,
Vratislaviensi; Amico & convictori dilecto,
de *Gladio Mystico* publicè disputanti.

Est Verbum Domini gladio penetrantius
omni,

Quod virtute suâ pectora nostra ferit.

Id GODESCHALCE doces, Paulo præeunte

THEANDRO,

Ut Verbi vitam sic tueâre probè.

Schruvenck-

Schvvenckfeldi, Rathman, Movii fanatica
contra,

Calixtiq̃ gregem, differis eximiè.

Gratulor hos ausus; Verbiq̃; ut acinace multos

Conficias, Domini prælia sancta gerens.

Ex animo voveo: referas ita digna brabeja:

Quæ certò Domini dextra benigna dabit.

f.

ABRAH. CALOVIUS, D.

STudent Palæstris dediti
Primum arma nosse fulgida,

Quibus tuemur corpora,

Deinde versari manu

Utraque, tamque perbene

Ferire quam defendere:

Sic nosse primum Tu studes,


In

In hac Palæstrâ splendida ;
Amice GODSCHALK Candide!
Et arma militiæ, atque vim
Lustras eorum maxime,
Ancipitis ensis spiritus.
Exerce nunc vires tuas
Bellator acer Numinis
Milesque eris quondam bonus.

f.

*Doctissimoq; præsantissimoq; DOMINO RE-
SPONDENTI amico suavissimo*

GEORGIUS *Green*/
Hist. P. P.



ULB Halle
003 792 277

3




05 A 2435

VD17







Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
GLADIO
MYSTICO

Ex Ep. Heb. IV. v. 12.

QUAM
PRÆSIDE
VIRO

SUMME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO
atq; EXCELLENTISSIMO

DN. D. ABRAHAMO CALOVIO,
Theologo de Ecclesiâ Universa Orthodoxa infinitis
meritis Clariss. Prof. Publ. Prim. Famigeratissimo, Ecclesiæ Witteb.
Past. Vigilantissimo Circuli Elect. Saxon. Superint. Gen.
Eminentissimo Synedrii Ecclesiæ.
Assess. gravissimo.

Dno. Patrono, Præceptore ac Hospite suo omni
pietatis atq; obsequii cultu submissè
devenerando.

Publicæ αὐθεντίας sistit

JOHANNES GEORGIUS Gottschalck /
Vratislav. Siles.
A. & R.



WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins. Ca 1680